Quelle: https://manuscripta.at/?ID=951
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Dicendum quod aristoteles de communi nomine et continenti libri titulum scripsit.
Interpretatio namque est nomen et uerbum. Interpretatio etiam huiusmodi oratio: omnis homo
animal est. Sed in hac uerum falsumque auditor intellegit. Haec enim oratio quae dicit
omnis homo animal est. uera uel falsa est. Interpretatio quoque est et huiusmodi oratio da mihi codicem.
in qua uerum falsumque nullus inueniet. Etenim da mihi codicem neque uerum
Cur de interpretacione inscriptus sit liber. esse potest neque falsum. Quocirca quoniam de his solis orationibus in quibus uerum falsumque
repperitur quas enuntiationes uocamus. et propositiones quae interpretationes sunt. dis
putaturus est. quoniamque de nominibus illis uerbisque dicendum est quid sit. et quam uim in significa
tione teneant. recte librum de interpretatione signauit. Nec hoc nos turbet
quod sunt quaedam interpretationes de quibus hic liber non tractet. Tamquam enim si quis de homine dispu
tans titulum operis de animali posuisset quamquam non de omni animali tamen quoniam de aliquo
disputaturus esset. recte de animali libro nomen imponeret. ita nunc licet non de
omni interpretatione pertractet. tamen quoniam de una quae est enuntiatio. et de nominibus et uerbis.
quae interpretationes sunt simplices dicendum erat. de communi et generali nomine uo
Intencionem. cabulum libri de interpretatione posuit. Est autem de simplici intentio
Quae sit simplex enunciativa oratio. enuntiatiua oratione disserere. Simplex autem enuntiatiua oratio est in qua
uerum falsumue sit. illud tamen est ut sine coniunctione totius orationis
ordo componatur. ut est. homo est. homo animal est. homo currit. homo paruus currit. Hae
enim propositiones sine coniunctione compositae sunt. et hae dicuntur praedicatiuae. Illae uero quae sunt
huiusmodi. si sol super terram est dies est. duplices atque ypotheticae. nec non etiam conditio
nales uocantur. Constant enim si hoc sit. hoc erit. id est. si sol est. est dies. Quare hae
simplices non sunt. Sol est enim et dies est duae propositiones sunt quas una coniunctio quae est si
copulat atque componit. Sed de his nullus hic libro tractatus habebitur. Quare quoniam
de simplicibus enuntiatiuis orationibus tractaturus est. idem de simplici affirma
tione et de simplici negatione. quoniamque affirmationes et negationes uerbis ac
nominibus coniunguntur. ut in ea quae est homo currit affirmatione. homo nomen est.
currit uerbum. et rursum homo non currit negatio ex eodem nomine uerboque coniungitur.
recte prius de simplici affirmatione et simplici negatione. omnique de sim
plici enuntiatione disputaturus. quoniam omnis enuntiatio simplex uerbis
nominibusque coniungitur. Primam disputationem de uerbis et nominibus instituit.
Cur primum de nomine et uerbo adgressus sit tractare. His enim prius ad scientiam uenientibus tota facillime natura orationis
aperitur. De quibus autem ei in toto dicendum est libro inchoans ipse proponit